



P R Æ F A T I O.



VANDO QUIDEM Mathematicarum disciplinarum stadium scribendo ingressi, nonnullam eius partem, fauente Deo, percurrimus: Geometriæ practicæ tractatio omittenda non fuit, vt nisi metam tangere licuerit, ab illa certè quam minimè distemus. Ætatem senectute grauem allicit operis iucunditas, laborem leuat varietas, amicorum preces tantum non cogunt, quò mea ferebar sponte, summa cum festinatione properare. Et verò, cum perpetua multorum annorum experientia compererim, admodum paucos esse, qui non in Mathematicis exerceantur eo consilio, vt quæ didicerint, ad aliquem vsum trahant: in hoc quicquid est laboris veniebam alacer, vt qui fructus è Mathematicis percipi possint ad humanæ vitæ commoda, non inani venditione, sed re ipsa constaret. Etenim dum certa ratio traditur, qua camporum longitudes, altitudines montium, vallium depressiones, locorum omnium inæqualitates inter se, & interualla deprehendere metiendo debeamus: cui libet liquet, vt arbitror, quantum commodi, vtilitatisque substructioni ædificiorum, cultui agrorum, armorum tractationi, contemplationi siderum, aliisque artibus, & disciplinis ex horum cognitione manare possit. Hæc enim vna Mathematicarum rerum scientiæ pars, sicut ab artificibus ob sui necessitatem auidè semper est arrepta: ita ob insignes vtilitates, quas in re tota militari suppeditat, in maximorum Principum, Regumque aulis omni tempestate versata est. Quamobrem & multos, & eruditos viros habuit, qui partes illius omnes accurata, & diligenti scriptione persecuti sunt: Inter quos, vt Leonhardus Pisanus, Frater Lucas Pacciolus, Nicolaus Tartalea, Orontius, Cardanus, aliique præcipuas obtinuerunt: ita eximia in cæteris laude floruerunt. Primas tamè ad iudicandum Io. Antonio Magino præstanti Mathematico; qui tametsi tantum linearum dimensiones docuit, ea tamen copia, doctrina, perspicacitate cuncta tradidit, vt locum non modo iis, qui ante scripserunt, sed spem posteris æqualis gloriæ, ne dum maioris, ademisse videatur. Ve-

A

rum